

XVII Si quis litem aliquam tempore distributionis nominum excitaverit, vel bombardam in hostem exoneraverit, capite plectatur.

XVIII Tabernæ & nocturnæ comediationes prohibitæ & vetitæ tunc temporis sint, sub gravi pœna.

XIX Nemo militum audeat aliquid violenter alicui eripere, sub pœna suspensionis. quod si aliquid acceperit præter victimum, quod unius grossi pretio constet, sine quavis misericordia juguletur.

X X Nemo militum victimus acquirendi causa absque servo Campiductoris in villas audeat discurrere, neve alicui injuria inferatur, sub pœna gravi.

X XI Hominem alienigenam, advenam, & ignotum, nemo in servitium militare suspicere audeat sine licentia Campiductoris, sub gravi pœna.

X XII Servitorem alterius commilitonis, sive Decurionis, nullus ad se persuasionibus & promissis allucere audeat, sub gravi pœna.

X XIII Nemo militum equos stipendiarios currui jungat; neque causa necessitatis privatæ, quamvis opportunæ, illis uti, vel alicui in usum dare audeat, sine licentia Campiductoris.

X XIV Advehentibus victimum in castra si aliquid per vim raptum fuerit, suspensionis pœna esto.

X XV Si quis in viam publicam mercandi præripiendique victimus causa extra castra abierit turpe ob lucrum, graviter puniatur.

X XVI De emptione & venditione cibi & potus, Campiductor estimationem faciat.

X XVII Quicunque ante estimationem aliquid emerit, emptor pecuniis, vendor meritis privetur. similiter & de eo intelligendum est, qui cariori pretio quam Campiductor constituerit, aliquid vendere ausus fuerit.

X XVIII Satellites à Campiductore missos, ad comprehendendum malefactorem, nemo verbis inhonestis proscindere audeat, sub gravi pœna. Similiter administratori justitiæ carnifici nemo illudere audeat, sub pœna honoris.

X XIX Militum præfectus sub pœna honoris tenetur indicare, quot milites in legione sua desiderentur. Arcis vero sive civitatis, cuius præsidia agit, incolam aut civem ad militiam nemo suscipere audeat sine licentia Campiductoris, sub gravi pœna.

X XX Unusquisque militum præfectus diligenter animadvertiset, ne arcem fidax suæ concretam ad ultimum usque periculum vitæ tradere præsumat, sub honoris & capitinis pœna.

X XI Decuriones commilitonesque, si Rotmagister (quod absit) per signa aliqua castrum hostibus tradere conatus fuerit, illum captum Campiductori præsentare tenentor.

Europa Sept.

XXXII Rotmagister, sive militum præfetus, ad referationem & occlusionem portarum castrorum quotidie præsens tenetor adesse, nemini que castrum tempore incongruo aperire audeat. Noctu vero omnes milites congregatos habere in arce tenetor.

XXXIII Nemo in castrum intromittitor, nisi certa notitia de illo habeatur, cujas sit, vel ob quam causam venerit; &, si justam causam dixerit, solus in castrum absque famulis intromittatur, qui absque Campiductoris licentia intromitti non possint.

XXXIV Quicunque militum, maxime autem pedestrium, deprædationis causa in terram hostilem frivolum abierit, talis pœna capitinis puniatur.

XXXV Si alicui custodia ordinaria veniret, ille autem præsens custodiæ non adfuerit, capitinis pœna esto.

XXXVI Si quis custodiæ munus obiens, sequentis custodiæ adeuntem non expectando abierit temerarie, caput amittito.

XXXVII Cui ex ordine custodiam obire contigerit, idque muneris temerarie per ebrietatem alearumque lusum neglexerit, caput & honorem amittito.

XXXVIII Nullus Rotmagistrorum commilitonum extra arcem discédat, neque suos milites ad quamvis legationem negotiorum suorum destinare audeat, sine licentia Campiductoris, maxime vero Campiductore ibidem præsente, sub gravi pœna.

XXXIX Rem forte inventam nemo apud se pernoctare sinat, sed Rotmagistro suo sive Campiductori eam indicet, sub pœna patibuli.

X L Quicunque militum absque armis ad quæ stipendia accepit, ambulaverit, vinculis corrigatur.

X LI Nemo rixas motusque aliquos in arce exercere audeat sub pœna atroci. quod si quis alicuius vulneraverit caput, item pro frivola gladii extractione, manum amittito.

X LII Ad quamvis justam defensionem artis, maxime obsidionis tempore, nemo militum eorum, qui præsidia agentes in ea manent, propter seiplos laborare detrectet.

X LIII Rotmagistri & Decuriones, singuli suos milites semper instruant, doceantque, quomodo unusquisque in acie legitime ordinataque stare, & armis suis competentibus commode uti possit, quod si ex ordine aliquis foras excellerit, caput amittito.

X LIV Committones, sive Decuriones, honeste sese gerant erga Rotmagistrum suum, non solummodo manu, verum etiam verbis. similiter & Rotmagister erga eosdem, neminem de honestando, verberando. sed si quid aliquis peccaverit, in corona omnium Decurionum, scilicet